



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio I. De distinctione Personarum Diuinarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

dici de
omni.

nullo, in diuinis locum habeat non obstante Myſterio Trinitatis: nam illa principia ſi rectè intelligantur, non puto differre ab iſto, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; quia dici de omni, ſignificat quod quæ dicuntur de aliquo ſuperiori adæquatè ſumpto dicuntur etiam aut negantur de omnibus quæ ſub illo continentur; ratio autem huius alia non eſt, niſi quia ratio ſuperior identificatur cum ſuis inferioribus, ideoque prædicatum identificatur cum inferioribus, quod identificatur cum ſuperiori, eundemque habet ſenſum dici de nullo, ideoque valent omnino in diuinis duo hæc principia, modò tamen ratio communis, & ſuperior adæquatè diſtribuitur, alioqui neque in diuinis valet neque in creatis.

§. III.

Utrum pluralitas perſonarum repugnet in Deo, ex propriis Dei prædicatis.

TRia illa ſine dubio ſunt, vnitas perfectiſſima ſeu ſingularitas, ſumma independentia, omnimoda infinitas, quæ tria cum Trinitate perſonalitatum, videntur ſtare nequaquam poſſe.

Vnitas
Dei.

Primò enim eadem argumenta omnia quibus probatur vnitas eſſentiæ diuinæ, probant etiam vnitatem perſonæ, Prima ratio eſt, quia Deus eſt primum ens, quod autem eſt primum, eſt neceſſariò etiam ſolum, ſed Deus non probatur magis eſſe primum ens in ratione eſſentiæ quàm in ratione perſonæ. Altera ratio eſt, quia Deus eſt eſſentialiter totum ſuum eſſe; ſi enim eſt ſingularis, eſt eſſentialiter ſingularis, atque ad eò eſſentialiter immultiplicabilis, ſed perſona diuina in ratione perſonæ eſt totum ſuum eſſe, alioqui eſt ens participatum, ergo ſi eſt ſingularis eſt eſſentialiter ſingularis, atque ad eò immultiplicabilis. Denique vltima ratio eſt infinitas Dei, cui nihil eſſe poteſt vel æquale, vel maius; nam in ratione perſonæ infinitus eſt, & ſummè magnus, ergo nihil ei eſt æquale.

Aſſeitas.

Secundo, ſi pater generat filium, filius eſt ens productum, ergo eſt ens cauſatum & dependens, quid enim eſt eſſe productum & dependens, quam eſſe ens cauſatum.

Infinitas.

Tertiò, perſonalitas diuina eſt aliquid ſuperadditum eſſentiæ, ergo eſſentia diuina eſt in potentia vt determinetur ad eſſe perſonæ, per aliquid ſuperadditum ergo non eſt ens infinitum per eſſentiam, nec eſt ens ſummè purum, & ſimplex; datur enim in eo compositio ex eſſentia, & perſona, & non eſt perſona per eſſentiam, ſed per participationem.

Solutio
trium du-
bitationū.

Ad primam Reſp. neg. vnitatem perſonæ in Deo, iſdem argumentis probari, quibus probatur vnitas eſſentiæ, neque probari tres eſſe Deos ſi ſunt tres perſonæ vt eleganter contra calumnias infidelium multis argumentis demonſtrant Auguſt. tract. 39. in Ioann. Bernard. l. 5. de conſider. c. 8. Tertull. contra praxeam cap. 3. Baſil. opuſc. ea de re. Primò enim, ex eo quod eſſentia Dei ſit primum eſſe, ſequitur quod vnica in Deo ſit eſſentia, perſonalitas verò non eſt eſſe primum & radicale; Patet enim, quod Deus non eſt prima radix totius eſſe in ratione perſonæ, ſed in ratione naturæ, nego igitur perſonalitatem eſſe debere ens omnium primum. Secundo, ex eo quod natura ſit ſingularis, & eſſentialiter totum ſuum eſſe, ſequitur quod ſecundum eſſentiam ſit immultiplicabilis, quia quod eſt eſſentialiter, hoc, eſt eſſentialiter immultiplicabile ſecundum eſſentiam, ſed non eſt eſſentialiter immultiplicabile ſecundum perſonalitatem, ideoque perſona diuina quæ eſt totum ſuum eſſe, ita eſt eſſentialiter hæc vt ſecundum eſſentiam ſuam multiplicari nequaquam poſſit; proprietas tamen eius perſonalis multiplex eſſe poſſit ſecundum rationem communem perſonæ, non ſecundum rationem talis perſonæ, quia in

Deo non eſt niſi vnus pater, & vnus filius, ſed de hoc iterum infra cùm ageretur de ſubſiſtentiis. Tertiò, ex infinitate Dei ſequitur quod in eſſentia, & potentia nihil ei eſſe poteſt æquale, vel maius: poteſt autem ei æquale aliquid eſſe in ratione perſonæ modò eandem participet eſſentiam; nam ex eo quod Deus ſit infinitus in ratione perſonæ, nihil eſſe poteſt æquale in ratione perſonæ, niſi participet eandem eſſentiam, ſi autem illam participet, poteſt.

Ad ſecundam Reſp. Filium Dei eſſe reuera productum à Patre, & tamen eſſe verum ens à ac ſe independens, nullam habens cauſam; nam ens dependens & cauſatum, eſt illud quod eſt productum per communicationem eſſentiæ diuerſæ ab eſſentia producentis: ens autem independens eſt illud, quod eſt improductum omnino, vel eſt productum per communicationem eiſdem eſſentiæ improductæ: idè filius nullam habet cauſam, & eſt ens à ſe æquè ac Pater, quia producit à Patre per communicationem eiſdem eſſentiæ quæ eſt in Patre. Cùm enim perſonalitas illa producta, identificetur eſſentiæ improductæ & independenti; perſonalitas etiam illa eſt ens à ſe, non autem ens ab alio quod ſit aliud, ſed ad ſummum ens ab alio qui ſit alius.

Ad tertiam dictum iam olim eſt perſonalitatem non diſtingui niſi ratione ab eſſentia, vt magis etiam mox conſtabit, vnde nego eſſentiam determinari vt ſit perſona per aliquid ſ. per additum realiter, idè nec eſt perſona per participationem. Quod erit ex modo dicendis maniſeſtius. Concludat nunc Bernard. l. 5. de conſider. c. 8. *Querit aliquis (inquit) quomodo illud quod Catholicum eſſe dicimus, poſſit eſſe, ſufficiat ei tenere ſic eſſe: atque hoc eſſe non rationi perſpicuum ſed fidei perſuaſum.*

QVÆSTIO II.

De Quidditate Myſterij Trinitatis.

Sic probata Myſterij huius ſecretiſſimi exiſtentia, *In quo* (vt ait S. Iacobus in Liturgia) *hoc eſt ſingularis, atque mirabile, quod lux diuinitatis ſine diſiſione diuini, aggredior illius explicare quidditatem, id eſt aperire in quo Myſterium ſitum ſit.* Ex iis autem Catholicæ veritatis Capitibus, in quibus docebam initio totum illud contineri, video eſſentiam eius totam ex iis conſici, quod diuinæ perſonæ diſtinguantur, procedant, referantur, ſubſiſtant, conſtituantur, inuicem diſtinguantur. Vnde 1. dicendum eſt de diſtinctione perſonarum diuinarum. 2. de proceſſionibus, & principiis productiuis. 3. de relationibus. 4. de ſubſiſtentiis & conſtitutione perſonarum diuinarum. 5. de notionibus. Moneo autem hic præſertim habere locum, quod referebam aliàs ex Hilario l. 2. de Trinit. *Credendus eſt, intelligendus eſt & his officiis eloquendus.*

Quidditas
Trinitatis
ſex com-
plectitur
capita.

SECTIO I.

De diſtinctione perſonarum diuinarum.

S. Thom. q. 28. art. 2. & 3.

Precipuum, vt ab initio ſæpè monui difficultatis totius cardo eſt, perfecta diſtinctio perſonarum, & earundem indiſtinctio ab eſſentia, quæ vt explicetur, diſtinctius ſtatueda videntur quatuor, ſuppoſitis iis omnibus quæ diſp. 1. dixi de identificatione attributorum ab eſſentia. 1. diſtinctio perſonarum, & perſonalitatum inter ſe. 2. vtrum inter eſſentiam & perſonalitatem, ſit aliqua diſtinctio realis actualis. 3. vtrum ſit diſtinctio rationis & qualis illa ſit. 4. vtrum ſit præterea diſtinctio realis virtualis.

S. I.

Utrum personæ diuinæ inter se realiter distinguantur.

Realis distinctio personarum.

Certum est 1. quod inter diuinas personas est vera distinctio realis, quod probatur illis omnibus argumentis, quibus quæst. 1. Probata est contra Sabellium existentia Trinitatis. Deinde probatur, quia ubi est productio ibi est oppositio, & consequenter distinctio, inter personas productio est, & oppositio relatiua vt postea ostendam. 3. idem ostendit circumfessio, & missio personarum, Pater enim dicitur esse in Filio, & Filius in Patre, dicitur mittere Filium, & Spiritum Sanctum, nihil autem se ipsum mittit, quæ argumentatio est Athanasij epist. ad Serapionem, ubi hanc dicit esse ipsam quæ ab initio fuit traditionem, quam Dominus quidem dedit, Apostoli prædicarunt, Patres custodierunt, in hac fundatur Ecclesia & qui ab hac excidit, nec esse Christianus nec vocari potest. Cum autem dicit ipsemet Christus omnia mihi tradita sunt à patre meo, omnia quæ habet Pater, mea sunt, subintelligenda est exceptio proprietatis personalis, vt definitur in Conc. Flor. si enim accipit à Patre, procul dubio secundum aliquid est distinctus à Patre.

Realis distinctio personalitatum.

Certum est 2. tres diuinas personalitates reuera inter se distingui, & facere numerum, adeo vt sint propriè plures. Ratio est, quia personæ diuinæ non possunt distingui nisi vel distinguantur se totis, vel vna includat aliquid realiter distinctum ab altera, sed non distinguuntur se totis, ergo vna includit aliquid distinctum ab altera. Illud non est essentia, ergo est personalitas: *Quis enim* (inquit Bernar. l. 5. de consider. c. 7.) *numerus neget, nam verè tres sunt, quis numeret tamen nam verè vnum sunt.* Et Nyssen. orat. catechetica c. 3. *Miratur quomodo vnum cadat sub numerum & non cadat, dum vnum cernitur, & comprehenditur in vnitatem, discerniturque ac distinctum sit consistentia, subiecto vero non sit diuisum.* Eleganter Tertull. contra Praxeam cap. 2. ostendit tres esse in Deo, non status, sed gradu, non substantiâ, sed formâ, nec potestate sed specie, vnius autem status, vnius substantiæ, vnius potestatis. Et Concilium Tolet. 1. in confess. fidei. *In relatione* (inquit) *personarum numerus cernitur, in diuinitatis verò substantia, quod est enumeratum non comprehenditur, ergo hoc solo numerum insinuant quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod ad se sunt.* & Basil. epist. 43. *Mira est* (inquit) *& enigmata similis trium istorum discreta coniunctio & coniuncta discretio.* Vtrum autem ratione illius discretionis debeant dici tres in Deo esse substantiæ, tres existentia, tres res, tres vnitates, &c. dicitur sect. 4.

S. II.

Utrum personalitates diuinæ distinguantur aliquo modo realiter ab essentia.

Soluta ferè quæstio hac tota est, cum dixi disput. 1. attributa Dei absoluta, neque realiter distingui contra Gualterum, neque modaliter contra Durandum, neque formaliter ex natura rei ante operationem intellectus contra Scotum.

Triplex dubitatio.

Ratio tamen dubit. specialiter superest huius loci propria. 1. Quia illæ duæ formalitates essentia & relatio, vel à parte rei nemine cogitate sūt vna res, & vna formalitas, vel sūt duæ formalitates, & duæ res: si vna, ergo nemine cogitante conueniunt contradictoria eidem, respectu eiusdem à parte rei: si duæ, ergo distinguuntur à parte rei nemine cogitante. Deinde cum intellectus format illam propositionem, essentia non est formaliter relatio; intellectus non causat veritatem huius propositionis, sed supponit; propositio enim est vera, vel falsa ex eo quod res est, vel non est: non au-

tem ex eo quod intellectus illam rei attribuit. Denique relatio & essentia sunt formaliter in Deo, nemine cogitante, sed relatio distinguitur formaliter ab essentia, ergo distinguitur nemine cogitante.

Secundò, quotiescunque duo ita se habent, vt vnū sit sine alio, distinguuntur realiter, sed essentia, & paternitas ita se habent, nam paternitas non est in Filio, in quo est essentia, ergo distinguuntur realiter. Deinde vt Pater & Filius distinguantur, debent habere aliquid superadditum essentia quod distinguatur, sed illud superadditum distinguitur ab essentia, quia quod est idem re cum alio non addit aliquid reale, ergo, &c.

Tertiò, illa distinctio est realis in ipsa re, quam Deus videt in ipsa re, sed Deus videt distinctionem in ipsa re; videt enim generari relationem, non generari essentiam, ergo est distinctio realis in ipsa re.

Assertio.

Dico primò, tres personæ diuinæ participant eandem indiuisibilem naturam diuinam, & in ea perfectissime ita vnum sunt, vt inter essentiam & personalitates nulla sit distinctio realis, vel formalis ex natura rei.

Consubstantialitas.

Prima pars, de consubstantialitate trium personarum diuinarum, à quibus eadem essentia, eadem sapientia, & omnipotentia participantur, definitur in Concilio Nicæno, Lateranensi & omnibus alijs: *Si quis enim* (inquit Damasus Papa) *non confiteretur Patris & Filij, & Spiritus Sancti vnam diuinitatem potestatem, & maiestatem anathema sit.* Ratio est quia tres personæ sunt Deus, est vnus Deus vt probabitur q. 3. ergo necesse est vt eandem participant naturam diuinam; si enim naturam illam vnicam non participant, vel non sunt Deus, vel non sunt vnus Deus. Pulchrè Tertullianus l. contra Praxeam c. 3. docet falli Hæreticos, qui numerum, & dispositionem Trinitatis, diuisionem præsumunt vnitatis, quando vnitatis ex se metipsa, deriuans Trinitatem, non destruat ab illa, sed administratur: *Concluditur quod vnitatis irrationabiliter collecta hæresim faciat, & Trinitas rationabiliter expensa, veritatem constituat:* vide illum cap. 4. *ubi filium vocat, & radicis fruticem, & fontis fluminem, & solis radium, quia omnis origo parens est, & omne quod ex origine prodit progenies est, nec frutex tamen à radice, nec fluminis à fonte nec radius discernitur à sole.* Neque dicas omnipotentiam non esse in Filio, quia non generat sicut Pater; nam potentia generatiua non est omnipotentia quæ respicit solas actiones ad extra, vt postea dicam.

Secunda pars, quod personalitates illæ tres, ab essentia realem distinctionem nullam habeant, definitur in Concilio Rhemeni contra Gilbertum, Porretanum Pictauiensem Episcopum, qui relationes ab essentia volebat distingui. Argumentatur autem Concilium efficaciter, primò quia, si personalitates diuinæ, realiter à Deitate distinguerentur, sequeretur quod illæ non essent Deus, est autem absurdum ponere aliquid in Deo quod non sit Deus; sic enim sequeretur quod Deus non esset actus purus, cum receptius esset alicuius proprietatis, non esset simplex, & summe vnus, quia persona diuina esset composita ex duobus, non esset infinitus per essentiam, quia perficeretur per aliquid distinctum. Accedit deinde Concil. Lateranense cap. *damnamus*, ubi negatur esse in Deo quaternitatem sed solum Trinitatem, id est tres res distinctas, si autem distinguuntur essentia & relatio, in Deo est verè quaternitas ergo non distinguuntur.

Indistinctio ab essentia.

Tertia pars, negans distinctionem illam formalem ex natura rei ante operationem intellectus inuictam à Scoto, fusè olim probata est, cum dixi de attributis absolutis: & tanè sententiam illam reliqui ferè omnes Theologi reiiciunt tanquam parum in fide tutam, & in Theologia intolerabilem, quod non minus

Indistinctio formalis à parte rei.

nus absurda esse videatur quàm error Gilberti Porretani, ut patet ex ibi dictis. Primum enim constat ex Concilio Lateranensi c. *firmiter*, ex Rhemenfi art. 1. & 3. ex Florent. sess. 11. & sess. in Confess. fidei, & ex August. Infirm. Bernard. quod essentia diuina, & attributa tùm in abstracto, tùm in concreto prædicari possunt de diuinis personis, & de relationibus; verum enim est dicere, Pater est sapientia, Deitas est Pater, Deus est paternitas, sed si ante operationem intellectus, est aliqua distinctio formalis ex natura rei, non possunt prædicationes huiusmodi esse veræ, quia concretum differret ab abstracto, sicut includens ab inclusis, ergo nulla est huiusmodi distinctio. Secundo, satis ibi est demonstratum, quod illa distinctio posita, persona diuina non est ens summè vnum, & summè simplex, cum in ea esset pluralitas, & compositio ante omnem operationem rationis. Unde tertio demonstratiue arguuntur: quotiescunque aliqua sunt à parte rei plura & distincta seclusa omni operatione intellectus, illa verè realiter distinguuntur, nam euident est quod realiter, & à parte rei sunt synonyma, sed natura, & relatio, sunt à parte rei plura, & distincta, ergo realiter sunt distincta, ergo distinctio ista formalis ante operationem mentis, est vera distinctio realis. Neque satisfacit ludus scotistarum ista duo non differre ut rem, à re, sed ut formalitatem à formalitate. Sed contra, nam istæ formalitates ante operationem intellectus distinctæ vel sunt à parte rei aliquid, vel sunt nihil, si aliquid, ergo sunt res, & entitates, si nihil ergo inter illas non est distinctio.

Solutio
dubitationum.

Ad primam Resp. ex his quæ dixi olim de attributis, & nuper posui de propositionibus contradictorijs, duas illas formalitates, essentiam nimirum, & relationem, esse rem vnam actualiter, sed esse res plures fundamentaliter, & æquiualeuter. Fateor autem quod nemine cogitante, conueniunt propositiones apparenter contradictoriæ, eidem respectu eiusdem quod fundamentaliter, & æquiualeuter multiplex est, ac distinctum.

Cum ergo dicitur essentia diuina formaliter non est relatio duplex potest esse sensus, ut rectè notat Suarez disp. 6. Metaphys. sect. 10. nam illud (formaliter) potest sumi vel absolute pro essentia ut est in se, vel relatiue in ordine ad diuersos nostros conceptus, & denominationem ex ipsis sumptam: si sumatur primo modo significat relationem, & essentiam non esse à parte rei vnum secundum entitatem, & essentiam, quod falsum est, si sumatur secundo modo significat relationem & essentiam non concipi à nobis vnicò conceptu, sed altero conceptu inadæquato concipi à nobis essentiam, altero dissimili, repræsentari relationem, quod verum est, quia nos diuersimodè concipimus essentiam, & relationem.

Ad illam ergo propositionem intellectus non causat veritatem huius propositionis, essentia non est formaliter relatio. Respondeo distinguendo, cum dico essentia non est formaliter relatio, intellectus non causat veritatem propositionis, quando illud (formaliter) sumitur relatiue ad intellectum nego, quando sumitur absolute concedo, quia tunc ut dixi propositio est falsa; hoc enim non potest esse verum nisi quatenus hæc distinctio conuenit esse: ræ & relationi per ordinem ad intellectum concipientem inadæquate: similiter hoc axioma semper est verum ex eo quod res est aut non est absolute, vel respectiue, propositio vera est absolute vel respectiue; quia enim propositio hæc absolute vera non est sed respectiue, propterea vera est, quia res hæc talem habet respectum ad intellectum, ut quoties concipitur relatio & essentia diuersimodè concipiantur.

Vel certe solui posset clarius, intellectus supponit

non facit veritatem fundamentalem huius propositionis, essentia non est formaliter relatio, sed facit veritatem formalem; ab eo enim quod res est aut non est saltem fundamentaliter, propositio vera est aut falsa.

Ad secundam Resp. distinguendo maiorem, quotiescunque duo ita se habent, ut vnum sit sine alio, distinguitur ab eo realiter, si sit omnino separatum ab eo concedo, si non sit omnino separatum, nego. Deinde concedo, quod Pater & Filius debent habere aliquid reale superadditum essentia, distinctum ab ea per rationem, non debent habere aliquid distinctum ab essentia realiter, hoc est enim magnum illud mysterium in quo duæ relationes distinctæ inter se, non distinguuntur tamen ab essentia.

Ad tertiam Respon. nullam aliam videri à Deo distinctionem relationis, & essentia nisi fundamentalem & virtuales, nam illa sola necessaria est, ut essentia communicetur sine relatione.

S. III.

An & quomodo diuina personalitates distinguantur ratione ab essentia.

Exclusa distinctione reali personalitatum ab essentia diuina, maior restat difficultas circa distinctionem rationis, ubi duo controueri possunt. Primum, utrum sit inter illas aliqua distinctio rationis. Secundum, utrum illa distinctio rationis sit perfecta, secundum conceptus inadæquatos & præcisiuos, an verò sit tantum imperfecta, & secundum conceptus confusos, & explicitos: quod utrumque punctum de attributis absolutis plenè disputatum habes disp. 1. q. 3.

Duplex
contro-
uersia.

Ex his autem, quæ ibi posui soluta manet prior illa difficultas, nam sicut attributa absoluta ostendebam ibi, distingui ratione ab essentia, sic contra nominales tùm veteres tùm nouos, probatum omnino manet quod inter personalitates, & essentiam vera reperitur rationis distinctio per quam essentia præscindatur à personalitatibus, & personalitates ab essentia, non autem, ut Doctores illi asserunt, diuersa tantum sint nomina eandem omnino rem significantia, sub eadem intrinseca formalitate.

Distin-
guuntur
ratione.

Quod certè manifestè falsum esse conuincitur, ex 6. synodo act. 11. in Epist. Sophronij: ubi dicitur personas, & essentiam seorsim considerari, ipsa intelligentia, separante, quod non est separabile. Deinde in Concil. Florent. dicitur sess. 1. diuinam substantiam, & personam re quidem esse idem; secundum modum autem nostræ intellectiois differre. Præterea manifesta ratio est, quia si essentia, & relatio neque re, neque ratione differunt, quidquid affirmari potest de vna, de altera etiam affirmari potest, cum idem omnino diceretur, & conciperetur, & sic quemadmodum est verum dicere filiatio est realiter essentia diuina verum esset dicere filiatio est paternitas: sicut verum est dicere filiatio generatur, verum esset dicere generatur essentia. Sequeretur etiam filium non minus procedere per voluntatem, quàm Spiritum Sanctum, cum intellectus formaliter sit voluntas. Denique in diuinis nulla productiones essent, & nihil productum; essentia enim quæ idem est cum relationibus improducta est, & nulla inter personas esset distinctio; non enim distinguuntur ab essentia, sed relatio esset formaliter essentia, ergo personæ non differrent relatione, quia scilicet quotiescunque solo nomine aliqua duo differunt, quicquid de vno affirmatur, affirmari etiam potest de alio. Si ensis est in vagina, ergo & gladius, quomodo ergo de personis, & essentia vera esse poterunt contradictoria, si non differunt nisi nomine.

Neque satisfaciunt aduersarij dum aiunt illa differre virtualiter, & hoc satis esse sine distinctione rationis. Quod clarissimè impugnatur, quia posita distinctione

etione virtuali, aliquid affirmatur de filiatione quod non affirmatur de essentia; producit enim filiationem non essentia, ergo saltem per intellectum filiationem est una formalitas supra quam cadit productio, & essentia est altera formalitas supra quam non cadit productio; si enim sunt ambæ una formalitas quidquid cadit supra unam, cadet etiam supra alteram: Est autem mirum quod essentia, sine relatione possit communicari, non possit autem cogitari. Neque inde sequitur quod intellectus diuinus faciat huiusmodi præcisionem, cum videat communicari essentiam, non communicat relationem. Hoc inquam non sequitur quia vnus est in Deo conceptus amplectens relationem & essentiam, ad præcisionem autem requiritur multiplex conceptus, sed hac eo loco plenius.

Status con-
trouersie.

Nunc supposita ea distinctione rationis inter personalitates, & essentiam, grauior sequitur controuersia, utrum sicut essentia, & attributa quamuis ratione distinguantur, ita tamen se inuicem includant, ut essentia formaliter implicite includat attributa, & vicissim attributa essentiam includant, sic essentia in conceptu implicite includat personalitates, & personalitates includat essentiam.

Triplex
dubitatio.

Ratio enim dabit. primò est, quia ut Deus sit ens perfectè à se, simplicissimum, & infinitum per essentiam necesse est ut essentia includat attributa, & ut attributa includant essentiam, sed eadem rationes probant, quod relationes includunt essentiam, & essentia includit relationes; alioqui enim erit in Deo compositio ex multis conceptibus, Deus non erit se ipso pater, sed talis erit per aliquid superadditum: Deinde personalitates ipsæ sunt entia à se formaliter, & actus puri & entia increata, ergo sunt formaliter Deus. Denique summa perfectio Deo debetur, relationes autem perfectiores erunt si essentiam includant formaliter, & essentia erit perfectior si attributa includat unde sic arguo ens infinitum simpliciter necessariò includit omnem perfectionem simplicem in suo conceptu, substantia est perfectio simplex, ergo essentia diuina illam in suo conceptu includit.

2. In diuinis abstractum & concretum sunt omnino idem, sed essentia diuina, est de conceptu Patris, ergo est de conceptu paternitatis, maiorem nemo negat, alioqui verum non esset dicere Deus est Deitas.

3. Pater quatenus est propriè Pater includit fecunditatem ad generandum Deum, & filius quia filius est terminus talis fecunditatis, sed fecunditas ad generandum Deum includit essentialiter naturam Dei, ergo Pater quia formaliter Pater est includit naturam Dei: quod idem verum est de filio, quia nihil potest accipere naturam Dei nisi sit Deus. Confirm. 1. quia proprietas Patris est formaliter fecunditas ipsius intellectus, ergo includit intellectum formaliter. Confirm. 2. quia fecunditas Patris est generare similem in natura, sed hoc includit naturam, ergo fecunditas Patris formaliter includit naturam.

Affertio
Bimemb-
ris.

Dico secundò probabilius est quod essentia diuina in suo conceptu formaliter etiam implicite non includit relationes; neque relationes includunt essentiam. Ita docent Molina, Vasq. Fasol, Becan, Marat, Arriag, Zuniga.

Prima
pars.

Prima pars, contra Thomistas & Valentiam probatur optimè à Suarez. Primò, quia essentia Dei est ita perfectè una, ut in ratione essentia diuina formaliter non habeat ullam distinctionem, alioqui si formaliter implicite sunt plures essentia diuina, verum est in aliquo sensu quod sunt plures dii saltem formaliter implicite sed si relationes essent de conceptu essentia diuina, essentia ut sic includeret distinctionem & pluralitatem, saltem eo modo quo includitur formaliter in personalitatibus, ergo essentia in suo conceptu non includit personalitates, nemo autem vnquam dicere audeat quod sunt implicite plures essentia diuina. 2. Essentia Dei tota est in singulis personis ut manifestè constat ex Concil. Lateranensi. cap. *damnamus*; & sane si verum hoc non esset Filius non esset Deus adæquatè; non enim haberet totum quod dicit formaliter essentia diuina; sed personalitas Patris nullo modo est in Filio, ergo personalitas Patris

Tom. I.

non est de conceptu essentiali Deitatis. Confirmat. quia quod est de conceptu Dei conuenit illi omni, quod est Deus, sed Filius est verè Deus, ergo illi conuenit quid. quid est de conceptu etiam implicite essentiali Dei. 3. Tota essentia Dei communicatur Filio, & Spiritui Sancto, sed non communicatur personalitas, ergo personalitas non includitur in essentia Dei, maior probatur, quia si tota essentia Dei non comunicaretur Filio, Filius non esset perfectè Deus, contra Concil. Nicænum ubi Filius dicitur esse Deus de Deo, totus de toto, perfectus de perfecto, plenus de pleno.

Secunda
pars.

Secunda pars, quod etiam ratio non includat essentiam contra Suarez, Ruiz, Zúñel, Granad, Martino. Probatur primò, quia omnia eadem argumenta quæ probant relationes non esse de conceptu essentiali essentia probant essentiam non esse de intrinseco conceptu relationum: v.g. idè essentia non includit relationes, quia personæ non habent ullam distinctionem in essentia, sed similiter personæ non possunt habere ullam unitatem in relatione ergo tam implicat ut relatio includat essentiam, quam ut essentia includat relationem. Deinde sicut in singulis personis est tota essentia in quibus tamen non est relatio, sic triplex omnino est relatio, quin essentia v. lo modo sit triplex ergo essentia non includitur in relationibus, sicut relationes non includuntur in essentia; sicut enim relationes sunt vnum si includuntur in essentia, sic essentia erit triplex, si includatur in relatione. Denique idè essentia non includit relationem, quia essentia communicatur, quin communicetur relatio, sed similiter, relatio producit, relatio vnitur, quin producat, aut vnatur, essentia, ergo, &c. & quidquid responderis ad vnum responderi poterit ad aliud. Vnde

Argumentor secundò, si relatio produci potest, quin producat essentia, præcindi potest id quod producit, ab eo quod non producit, quod probò. quoties aliquid affirmatur de vno, quod negatur de alio, necesse est ut vnum præcindatur ab alio. Deinde si propter distinctionem virtuales vnum potest produci sine altero, potest cogitari sine altero.

Ad primam Resp. negando eas rationes, quæ probant inclusionem attributorum absolutorum in essentia, etiam probare inclusionem personalitatum in essentia, & essentia in personalitatibus ut latè ostendi 1. disp. nunc breuis & clara disparitas sit, quia nunquam essentia diuina communicatur, quin communicentur attributa omnia, sed nec vllum attributum absolutum producit realiter improducta essentia: hoc autem in relationibus non valet, quia comunicatur essentia non comunicata relatione, & relatio producit non producta essentia.

Solutio
dubitatio-
num.

Neque valet argumentum ductum à simplicitate, quia compositio rationis non obstat summæ simplicitati possibili. Deus præcisè in ratione essentia, non est Pater, in ratione autem personæ, dicit essentiam, & relationem, unde non est Pater per aliquid superadditum essentia ut persona est. Fateor personalitates proptè ab essentia distinguuntur formaliter, esse entia increata, actum purum ens independens, sed nego illas propterea formaliter esse Deum; sed neque relationes esse possunt infinite in omni genere ut postea docebo. Denique fateor essentiam diuinam includere formaliter substantiam secundum rationem communem substantia, non secundum rationem determinatam huius, vel huius substantia.

Discrimen
attribu-
torum &
personali-
tatum.

Ad secundam Resp. negando quod in diuinis abstractum & concretum formaliter sint idem, quamuis idem sint realiter, alioqui sicut verum est quod Pater generat, verum etiam esset quod paternitas generat, quod esse falsum postea constabit.

Abstra-
ctum &
concretum
in diuinis.

Ad tertiam Respon. probari quidem illo argumento quod pater in concreto, proptè dicit & paternitatem, & essentiam includit essentiam, non autem quod paternitas ipsa includat essentiam; distinguo enim maiorem, pater quatenus est propriè pater adæquatè, includit fecunditatem

Z

tatem ad generandum Deum, & Filius quatenus est adequatè Filius est terminus talis fecunditatis, concedo: Pater quatenus est inadæquatè Pater, & solam dicit relationem, nego: Nam ut sic dicit formaliter solam vim generandi personam diuinam, quamvis dicat consequenter, vim generandi Deum, quia diuina persona non est sine natura. Ad confirmationem utramque respondetur eadem distinctione.

§. IV.

Utrum personalitates diuine distinguantur ab essentia ratione tantum: an verò realiter virtualiter.

Nulla inter Doctores Catholicos potest hic dissentio esse de re, sed solum de vocibus, quibus semel expositis, nulla superest controuersia, modò constet quid significet distinctio virtualis, quam in Trinitate plurimi Doctores ponunt, alij verò negant solam volentes sufficere distinctionem rationis.

Ratio ergo dubitandi sit primò, quia distinctio ista virtualis non ponitur in diuinis, nisi ut possint de eodem affirmari prædicata contradictoria, sed posita sola distinctione rationis possunt de Deo affirmari contradictoria, nam illa (ut sæpè dixi) etiam in creatis, vera sunt de eodem secundum diuersos conceptus, ergo sufficit in diuinis distinctio sola rationis.

Secundò, sicut intellectio generat, & volitio non generat, sic iustitia punit, misericordia non punit, sed sola distinctio rationis sufficit inter iustitiam, & misericordiam, ergo illa etiam sufficit inter intellectionem & volitionem.

Tertiò, illa distinctio virtualis reperitur vbicumque duæ formalitates realiter identificate rebus æquivalent distinctis, sed vbicumque reperitur distinctio rationis tum in Deo tum in creaturis reperitur etiam illa æquivalentia, ut patet, nam iustitia, & misericordia identificate in Deo, æquivalent duabus illis perfectionibus, quæ in creaturis sunt identificate: Animalitas & rationalitas quæ in homine sunt vnum, æquivalent virtuti sensitiuæ bruti, & intellectui Angeli, ergo sola est ibi distinctio rationis.

Quartò, in illa distinctione virtuali relationum ab essentia committitur circulus, & idem explicatur per se ipsum, dicitur enim quod idè de essentia, & de personalitatibus veræ sunt propositiones contradictoriæ, quia distinguuntur virtualiter, & distingui virtualiter significat duntaxat quod de illis possint dici contradictoria.

Dico tertiò, inter relationes diuinas & essentiam, non est solum distinctio rationis, sed requiritur etiam distinctio virtualis, qualis non reperitur inter reliqua omnia Diuinitatibus & essentiam. Ita cum Caietano docent Valent. quæst. 13. p. 1. & quæst. 4. p. 1. Molina quæst. 28. art. 3. disp. 3. Herice disp. 12. c. 2. Zuniga disp. 2. dub. 4. Arribal. disp. 100. c. 3. num. 13. Hurtad. Arriag. & plures alij recentiores quibus immeritò repugnant cum Vasq. Granad. Alarçon, Luisius, Turrian. qui tamen (ut monui) de solis vocibus pugnant.

Triplex probatio. Ratio enim contra illos manifesta est, quia distinctio ista virtualis significare duntaxat potest, quod aliquid licet indistinctum realiter, ita tamen rebus distinctis æquualeat, ut possit præstare idem quod res præstarent distinctæ, sed negari nullo modo potest quin essentia & relatio quarum vna producit, & vnitur, altera non producta vel vnita, æquualeant pluribus adè ut possint idem præstare quod præstarent res distinctæ, alioqui non possent dici de illis contradictoria, ergo certum est quod essentia, & relatio distinguuntur virtualiter, & hoc (ut dixi) nemo negat Catholicus.

Secundò ergo, quod illa non sit pura distinctio rationis, sed illi aliquid superaddat non reale actuale, sed reale virtuale probatur, quia certum est, quod in Deo maior quædam reperitur capacitas, ad suscipiendas denominationes contradictorias, quam inter creaturas reperitur, nam essentia communicatur, non communica-

tur personalitas, & vicissim personalitas producit, essentia non producit, quod certum est in creaturis non habere locum, sed distinctio rationis reperitur perfecta in creaturis, ergo maior quædam distinctio reperitur in Deo, quam distinctio rationis. Confirmatur quia, distinctio rationis non sufficit ut vnum dicatur produci altero non producto, quis enim dicat posse produci animalitatem, rationalitatem non producta, sed in Deo essentia non producit relatio producit, ergo inter essentiam, & relationem sola non sufficit distinctio rationis.

Tertiò ergo, à priori ratio sit, quia quoties aliqua ita se habent, ut quauis re vnum sint, capacia sint tamen contradictoriorum intrinsecorum, distinguuntur plus quam ratione; nam distinctio quæ non est nisi rationis efficit quidem ut in ordine ad aliquid extrinsecum de aliquo affirmantur contradictoria, homo discurret ut rationalis non discurret ut animal, cognoscitur ut animal, non cognoscitur ut rationalis sed non efficit ut in ordine ad aliquid intrinsecum possint de eodem esse vera contradictoria, communicari, produci, vniri, quæ ut patet sine ordine ad aliquid extrinsecum verificantur de relationibus & essentia, ergo patet quod inter essentiam & relationes non est sola distinctio rationis.

Ad primam Resp. distinguendo maiorem, non ponitur virtualis distinctio in diuinis, nisi ut possint affirmari de eodem contradictoria, in ordine ad aliquid extrinsecum, v.g. in ordine ad effectus productos ad extra, nego, in ordine ad existentiam intrinsecam concedo. Ad priorem illam rationem sufficit distinctio per intellectum non sufficit ad secundam ut satis probatum est. Fateor quod etiam in creatis reperitur capacitas ad contradictoria extrinseca, quam non male vocaueris distinctionem virtualem minorem cum Arriaga, solius autem Dei propria est capacitas ad contradictoria intrinseca, atque adè illi soli competit propter infinitatem distinctio illa virtualis maior.

Ad secundam Respon. iustitiam, & misericordiam in Deo solà distingui ratione, & distinctione illà virtuali minore, quia in ordine solum ad effectus extrinsecos, possunt de illis dici contradictoria, intellectionem autem & volitionem distingui plquam ratione, quia contradictoria intrinseca illis conueniunt generare ad intra, & non generare.

Ad tertiam Resp. negando æquivalentiam in ordine ad prædicata intrinseca reperiri, vbicumque sunt formalitates distinctæ solum per intellectum ut satis liquere potest ex dictis.

Ad quartam Resp. nullum in ea distinctione virtuali committi circulum eo modo quo est exposita; significat enim solum capacitatem ad plura realiter distincta, ex qua postea sequitur capacitas contradictoriorum intrinsecorum, ubi non explico idem per se ipsum.

SECTIO II.

De processionibus personarum diuinarum. S. Th. q. 27.

Fundamentum distinctionis in diuinis sola processio est personæ vnius ab altera; idè enim distinguuntur personæ quia vna est producta, & altera producat, de his igitur, processionibus ut distinctè agam disputanda videntur quatuor. Primò, quoad existentiam utrum inter diuinas personas aliqua sit processio, ita ut vna persona procedat ab alia, & quod duplex illa sit. Secundò, quoad essentiam, quid sint diuine processionès, & quos terminos habeant. Tertiò, quas habeant proprietates ubi celeberrima controuersia locum habet, utrum processio filij verè sit generatio, processio autem Spiritus Sancti non sit generatio. Quartò, quanam sint earum principia.

§. I.

Utrum in diuinis aliqua detur vera processio.

Certum est primò, nomine (processionis) hîc significari productionem vnius personæ diuinæ ab alia.

Quadruplex dubitatio.

Solutio primæ dubitationis.

Solutio secundæ.

Solutio tertiæ.

Solutio quartæ.

Nomen processionis.